Zu der öffentlichen Prüfung

aller Classen

des

Königlichen Gymnasiums zu Ratibor

den 17. und 18. März

und dem Redeactus


den 8. April 1842

laden ehrerbietigst ein

Director und Lehrer-Collegium.

Inhalt:

Ratibor, 1842
Gedruckt in der Bögnerschen Buchdruckerei.



CAROLO LINGIO, VIRO DOCTISSIMO,

s. d. p. Eduardus Hänisch.

Cum vita nostra, Vir Doctissime mihique Amicissime, inciderit in ea tempora, quae omnium rerum in Europa statum et rationem commutaverunt, facile uterque nostrum ea vidit, quae etiam hodie quamvis diu praeterita aliquoties ad se animum advertant et dulci vel acerba recordatione retineant. Sic nemo mirabitur, nos omnes, qui proeliis illis interfuimus, quibus ante hos viginti novem annos Francogalli feroces, superbi, petulantes e patriae nostrae finibus ejecti sunt, saepissime illius belli illarumque victoriarum recordari et exantlatos illos labores susceptaque pericula memoria libentissime repetere. Atque cum omnes, qui in aliqua literarum universitate ingenium excoluerunt, tempus illud bonarum artium studiis datum ut dulcissimum et fructuosissimum totius vitae praedicare soleant, quo tandem nos illorum annorum desiderio affectos putas, qui felicissima illa aetate, qua animus idem, quo bellum illud omnium longe maximum et gravissimum gesseramus, liberalis, fortis, audax, cum in omnibus civibus, tum maxime in juventute literarum studiosa permansit, ut antea armorum in iisdem castris, sic tunc studiorum socii in eadem Musarum sede una plurimi versati sumus? Quod otium post tam varios casus, post tot discrimina rerum quamvis vere etiam mihi jucundissimum fuisse putaveris et maxime ob viros summos tunc optime de me meritos, Wachlerum, F. Passovium, Schneiderum, Steffens, alios dignum, cujus memoriam saepissime recolam, est tamen aliud quoddam vitae meae tempus, cujus recordatione etiam magis delectari soleo, illud, quo gymnasio hoc nostro summis auspiciis aperto Te duce et moderatore aliquot annos bonas literas juventutem docuimus. Hic enim, quae alias singula satis placent, plurima sese nobis offerebant conjuncta, negotia et studia nobis ut docendi et discendi cupidis jucundissima, felix etiam in summa subsidiorum inopia disciplinae successus, consiliorum nostrorum et benevola interpretatio et comprobatio, summus discipulorum in nos amor, summa collegarum in rebus gravissimis consensio, fides, amicitia. Quoties vero ad illud tempus et ad jucundissimam nostram vitae et officiorum societatem animum reverto, toties Tuam in moderando tunc ludo nostro vix constituto prudentiam et felicitatem vehementer admiror et insignem in comparandis, quae studia haec nostra efflagitant, subsidiis diligentiam et sollertiam praedico. Tu enim non solum bibliothecam pecunia publica ex aerario erogata condidisti et libris undique omni modo conquisitis auxisti, sed etiam ceteri apparatus, quos varios

et multiplices accuratior antiquitatis cognitio, mathematica, physica, geographia, musica, ars delineandi et scribendi requirunt, ne deessent, quantum quidem in Te fuit, curasti et providisti. Ita Tu etiam numos vel in hac nostra regione vel alibi repertos collegisti mihique, cum Tibi in munere succederem, servandos atque, ut censebam, simili modo augendos tradidisti. Diversissimorum autem populorum et temporum numos uterque nostrum congessit, non disposuit; quod tandem aliquando faciendum videtur, ne copia, quo magis accrescat, eo majorem afferat utendi difficultatem. Romanos autem numos omnium primum ex illa farragine seligendos et in ordinem redigendos et describendos censui, et quod eorum cognitio ab his literarum studiis, quibus adolescentes nostri erudiri solent, minime aliena est, et quod hi numi omnium maxime interprete indigent. Plurimi enim, ut scis, aut longiore usu aut, quod adhuc in agris jacuerunt, aratro vel rastro et glebis ita detriti sunt, ut eorum typi et inscriptiones vel acerrimis oculis vix deprehendantur. Neque hanc ego difficultatem numariam plane superare potui neque celare volui. Quare infra in describendis numis, si quae literae jam nullae in iis apparent, earum locos punctis significavi; ubi illarum vestigia relicta sunt, certa majusculis, obscuriora minusculis literis indicavi. Quodsi magna horum numorum pars caret elegantia, aliquo tamen pretio non caret; illi certe, quos haec nostra terra gremio suo olim exceptos hac demum aetate reddidit, eo pluris aestimandi sunt, quod quasi ab ipsis Romanis nobis traditi haud dubie veri esse et probi videntur atque quaeri jubent, quomodo et quo tempore in hanc nostram regionem perlati sint. Diversis id rationibus fieri potuisse Tu jam demonstravisti in programmate Ratiboriae a. 1822 edito; quare ego hoc loco id tantum monuerim, etiam eos numos, qui post Tuum hinc discessum apud nos inventi sint, plurimos Trajani et utriusque Antonini tempore cusos esse, nullos Septimii Severi excedere aetatem. At id satis mirari non possum, per agros nostros quo tandem modo tanta horum numorum copia dispersa fuerit et disseminata, ut quamvis per multa jam saecula plurimi inde sint recepti, tamen etiamnum multi ibidem reperiantur. An Tu putas, Vir Doctissime, per duo fere milia annorum posteros nostros nostrorum numorum in agris similem inventuros esse multitudinem? At profecto nostrorum nos numorum majorem habemus copiam, quam Romanorum majores nostri habuisse putandi sunt. Jam si ad eam rem explicandam Te vel alium virum doctum hoc libello excitavero, plus quam operae pretium fecisse mihi videbor. Nam re vera eum in gymnasii nostri usum, ut tandem aliquando his numis commode uti possemus, conscripsi. Ad Te vero, cui potissimum ut auctori tota haec supellex debetur, hoc ego opusculum non ingenii sed oculorum acie confectum misi, et ut videres ea non plane jacere, quae a Te essent incohoata, et ut constaret, quanti etiamnum Tua in hoc gymnasium merita faceremus. Vale, sitque Tibi propitia, quam ita pie coluisti, Juno Moneta.

De Gymnasii Ratiboriensis Numis Romanis.

NUMI FAMILIARUM.

Gens Calpurnia plebeja.

Caput Apollinis laureatum, pone X, infra F.
L. PISO. FRVGI. H. Eques, a cujus collo fasciae, quae mihi videntur esse, vento retro agitantur, equo citato invehitur. In Eckhelii libro de doctrina numorum veterum, tom. V. p. 158. hic eques in aliis numis tridentem, in aliis facem aut gladiolum aut palmam aut flagellum tenere dicitur. Est apud nos ex numis argenteis vicesimus quartus. Putant his numis ludos Apollinares indicari, qui auctore Calpurnio praetore a. 211. a. C. n. in perpetuum voti sunt, de qua re narrat. Liv. XXVI, 23. cf. XXV, 12. et fusius Macrob. Sat. 1, 17.

Gens Claudia.

Sabina, post reges exactos non modo in civitatem accepta, sed etiam in patriciorum numerum. V. Liv. II, 16. III, 58. IV, 3. VI, 40. X, 8. Omnia, quae de hac gente tradita sunt, collegit Drumann in historia Roman. II. p. 166.

Caput muliebre laureatum cum inauribus; pone lyra.

P. CLODIVS. M. F. Diana stolata stans singulas utraque manu faces tenet. Ex nostris numis argenteis est quadragesimus octavus. Conf. Eckh. l. l. V. p. 172, ubi hunc P. Clodium aequalem fuisse Octaviani et Antonii ex aliis, quos ibi descripsit, numis probabile fit. Conf. Drumann l. l. p. 387, 57.

Gens Fonteja plebeja.

Caput geminum, quale fere Jani esse solet, sed sine barba; in area ab altera parte est H, ab altera X.

C. FONT. ROMA. In his literae NT sunt monogrammate scriptae, quale Eckh. I. l. V. p. 72 in vocabulo Pont. in numis gentis Aemiliae esse dixit. Navis quinqueremis, in qua quinque remiges ad remos sedent, gubernator vero stat dextra porrecta gubernaculum tenens; ex puppi dependet parva scala ad conscendendum et defixum est aplustre *) cum taeniis vel parvis velis vento agitatis; in prora conspicitur parva aedes. Ex numis argenteis nostris est vicesimus quintus. Eckhel. l. l. V. p. 214. minus quidem accurate hunc numum descripsit, sed bene docuisse videtur, hoc caput cum duplici facie imberbi Jani vix esse; hunc enim apud Romanos semper fuisse barbatum; itaque suspicatus est, cum gens Fonteja deos penates sive Dioscuros magno in honore habuerit, atque hi saepe capitibus jugatis sint propositi, in his capitibus Jani more unitis eosdem gentis Fontejae penates esse cognoscendos. Huc accedit, quod fratres Helenae, lucida sidera, optime conveniunt in navem, quae est in antica.

NUMI IMPERATORUM.

Agrippina, Germanici uxor, M. Vipsanii Agrippae filia.

AGRIPPINA. M. F. MAT. C. CAESARIS. AVGVSTI. Caput Agrippinae.

S. P. Q. R. MEMORIAE AGRIPPINAE. Thensa a binis mulis tracta, in cujus priore parte stat auriga, in posteriore sedet muliercula, manibus infantem, ut videtur, tenens genu impositum. Est numus aeneus primae formae, apud nos tricesimus nonus. Quod in hoc numo Agrippina, Augusti ex Julia neptis, dicitur Marci Vipsanii Agrippae filia, mater Caji Caesaris Augusti, probabile est, eum non Caligula, sed Claudio demum imperatore esse signatum. Caligula enim Agrippae se nepotem neque credi neque dici ob ignobilitatem ejus volebat; praedicabat autem, matrem suam ex incesto, quod Augustus cum Julia filia admisisset, procreatam. Conf. Sueton. Calig. 23. Qui vero ita avum aspernabatur, idem maxime pius fuisse dicitur in ma-

*) Eckhel. l. l. V. p. 214. pro aplustri dixit acrostolium, quae est prorae pars, non puppis.

trem, id quod in ipsius hujus numi parte aversa carpentum cum inscriptione „memoriae Agrippinae" testari videtur. Narrat enim Suetonius (Calig. 15) Caligulam, cum Tiberium mortuum pro concione laudasset funerassetque amplissime, confestim Pandatariam ad transferendos matris cineres festinavisse tempestate turbida, quo magis pietas emineret; adisse venerabundum ac per semet in urnas condidisse et Romam Tiberi subvectos Mausoleo intulisse; inferiasque matri annua religione publice instituisse et Circenses carpentumque, quo in pompa traduceretur. Quod est in nostro numo carpentum, illud ipsum, de quo Suetonius narrat, videtur esse et muliercula, quae eo vehitur, Agrippinae imago cum infante imperatore. Conf. Eckh, l. l. VI. p. 213, qui tamen neminem, qui hoc vehiculo veheretur, videtur vidisse.

Caligula.

C. CAESAR. AVG. GERMANICVS. PON. M. TR. POT. Caput laureatum.

AGRIPPINA. DRVSILLA. IVLIA. S. C. Tres mulieres stantes, ex quibus quae est ad dextram, dextra columnae innititur et cornu copiae tenet, sinistra humerum mediae contingit; quae est media et quae ad sinistram, earum utraque sinistra cornu copiae, dextra altera pateram, altera gubernaculum tenet. Ita tres imperatoris sorores, cum quibus ille omnibus teste Suetonio (Calig. 24.) stupri consuetudinem fecit, Securitatis, Pietatis, Fortunae imaginibus repraesentantur. Est numus aeneus primae formae, apud nos 40. Cf. Eckh. l. l. p. 219 et Odofr. Mülleri Archaeol. p. 193.

Cusus videtur hic numus aut anno 37 p. C. n., quo Cajus Caesar rerum potitus sorores omnibus honorum generibus ornavit (V. Suet. Calig. 15), aut initio anni 38, antequam morte Drusillae, quam in modum justae uxoris propalam habuerat, in summum moerorem conjiceretur atque Agrippinam et Juliam quasi adulteras et insidiarum adversus se conscias in Pontias relegaret. Conf. Suet. Calig. 24. Dio 59, 3. 11. 22.

Nero.

IMP. NERO. CAESAR. AVG. P. P. vel P. M. Caput laureatum. In aversa est aquila alas concutiens inter duo signa militaria. Est ex nostris numis argenteis duodecimus, integerrimus, inventus apud Sacraviam, vicum non procul a monte St. Annae situm.

IMP. NERO. CAESAR. AVG. GERM. Caput laureatum.

PACE. P. R. VBIQ. PARTA. IANVM. CLUSIT. S. C. — Templum Jani clausis foribus. Hanc in aversa inscriptionem Eckh. l. l. VI, p. 273 in aureis tantum numis videtur vidisse. Est hic ex nostris aeneis vicessimus.

NERO. CLAVD. CAESAR. AVG. GER. P. M. TR. P. IMP. P. P. Caput laureatum.

ADLOCVT. COH. S. C. Imperator togatus in suggestu stans cum comite paullo retro stante alloquitur tres figuras sub aedificio columnis fulto adstantes. Hos Eckh, l. l. VI. p. 268 tres milites cum signis militaribus esse putat; quantum equidem video, is modo, qui imperatori proximus est, signum militare sinistra tenet, duobus reliquis brachia post tergum vincta sunt. Est numus aeneus primae formae, apud nos quadragesimus primus.

Vitellius.

A. VITELLIVS. GERMANICVS. IMP. AVG. P. M. TR. P. Caput laureatum.

HONOS. ET. VIRTVS. S. C. Honos stans seminudus dextra hastam, sinistra cornu copiae tenet, Virtus galeata dextra parazônium, sinistra hastam, dextro pede galeam vel aliud quid rotundi premens. Conf. Eckh. VI. p. 310. Est numus aeneus primae formae, ex nostris quadragesimus secundus.

Titus.

T. CAESAR. imp. VESPASIAN. Caput laureatum.

COS. V. Aquila. Est ex nostris numis argenteis tricesimus quartus. Consulatus quintus indicat cusum esse a. 76 p. C. n, V. Eckh. VI p. 355.

IMP. T. CAES. VESP. AVG. P. M. TR, P, P. P.COS, VIII. Caput laureatum.

PIETAS. AVGVSTA. S. C. Mulier stans inter duos viros, qui dextras jungunt. — Numerus consulatus et in parte aversa Pietas jam magnopere attrita sunt, cetera omnia optime conservata. Si numernm consulatus recte lego, signatus est hic numus a. 80 p. C. n. Sed quorsum spectet typus aversae partis et inscriptio, equideu iguoro. Eckh. VI. p. 357. C. inscriptionem quidem capitis eandem laudavit, de ejus modi typo nihil dixit. Est numis aeneus primae formae, apud nos quadragesimus tertius.

IMP. T. CAES. VESP. AVG. P. M. TR. P. P. P. COS. VIII. Caput diadematum.

IVDAEA. CAPTA. Palma, sub qua mulier in luctu juxta tropaeum sedet; ab altera parte arboris stat homo manibus post tergum vinctis, quem Odofr. Müller in libro, quem inscripsit Denkmähl. der alten Kunst p. 48 n. 364, ubi de simili Vespasiani numo exponit, ducem esse aliquem Judaeorum haud dubie rectius existimat, quam Eckhel. (VI. p. 326), qui figuram dicit non nunquam adstare militarem. In nostris certe duobus ejusdem imaginis numis hic vir vinctus est; adest post eum etiam tertia persona, quae aut sicuti infans statura est brevissima, aut humi sedet; nam caput tantum et pectus apparent, cetera sunt obscurata. Hic numus aeneus primae formae, apud nos quadragesimus quartus et quintus, signatus est a 80. p. C. n., sed jam inde ab anno 71 haec de Judaeis victoria numis est celebrata.

Domitianus.

IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. Hic nonnullae literae legi non possunt, reliqua fuisse videntur: CENS. P. PER. P. P. In medio S. C. Mirum est, quod inscriptio a dextra parte superiore incipit.

.... AVG. .... S. P. Q. R. Mulus sive aliud animal stans curru vehitur a duobus mulis. Cum Domitianus Germanicus et censoria protestate perpetua dicatur, hic numus non ante annum 84. p. C. n., sed potius post a. 85. videtur signatus et nescio an currus cum bestiis illis imperatoris celebret munificentiam in ludis edendis. Est numus aeneus primae formae, ex nostris quadragesimus sextus.

IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. COS. XIII. CENS. PER. P. P. Caput laureatum.

PONT. MAX. TR. P. VII. LVD. SAEC. Imperator sedens in suggestu, cui inscriptum est: SVFPD., porrigit aliquid viro togato infra stanti et illud dextra accipienti; Inter hunc et suggestum figura alia minor manus attollit; in suggestu ipso ad pedes imperatoris duo vasa stant necsio an donis referta, retro est templum quatuor columnis instructum. Est numus aeneus primae formae, apud nos quadragesimus septimus.

Literas suggestui inscriptas interpretantur SVFfimenta Populo Data, eaque esse putant lustralia, quae Zosimus (l. II, princ.) dicit paucis diebus antequam ludi peragerentur in Capitolio temploque Palatino a quindecemviris populo esse distributa, faces, sulphur, bitumen. Celebrati sunt ludi saeculares, quorum hic mentio fit, a Domitiano a. 88. p. C. n., quo Tacitus praetor fuit, qui cum esset sacerdotio quindecimvirali praeditus, singularis quaedam horum ludorum ad eum pertinebat

cura. Conf. Tacit. Ann. XI. 11. Eodem anno cusum esse hunc numum indicat TR. P. VII., nisi forte rima, quae proxima est huic numero, deleta lineola ex VIII. fecit VII. V. Eckhel VI. pag. 384 et 387, ubi similem hujus numum, qui tamen aliam habet capitis inscriptionem, explicat. Idem non alium magis numum dicit falsariorum turpem artem exercuisse; atque mihi quidem hic noster quamvis longe pulcherrimus pluribus de caussis suspectus est, maxime quod in antica literae CENS. PER. non vetustate sed artificiose obscuratae videntur atque etiam illa, de qua dixi, rima vel fissura arte facta.

IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. P. M. TR. P. VII. Caput laureatum.

IMP. XV. COS. XIIII. CENS. P. P. P. Pallas stans dextra hastam tenet sinistra post tergum flexa. Cusus est hic numus eodem anno 88 p. C. n., quo ludi saeculares acti. Est ex nostris argenteis primus, inventus prope Dollnam, vicum haud procul a Strehlitia Majore, urbe Silesiae superioris, situm.

IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. COS XIIII. CENS. PER. P. P. Caput laureatum.

In aversa non est inscriptio, sed leo ingrediens dextra pugionem tenens, qualis in annulo Pompeji Magni videtur fuisse, de quo Plutarch. in vita Pomp. LXXX: ἦν ἡ γλυφὴ λέων ξιφήρης. Est numus aeneus formae longe maximae, ex nostris sextus.

Nerva.

IMP. NERVA. CAES. AVG. P. M. TR. P. COS. III. P. P. Caput laureatum.

FORTVNA. AVGVSTA. S. C. Mulier galeata stans dextra, ut videtur, gubernaculum, sinistra cornu copiae tenet. Numus aeneus primae formae, ex nostris quadragesimus octavus.

Trajanus.

.....AESAR. TRA.... IMP..... Caput laureatum. Praeterea nihil neque legi neque cognosi potest in hoc numo aeneo primae formae; neque hoc mirum, est enim nostro demum tempore in agris apud Biescaviam vicum inventus, ubi nescio quot saecula glebis et arateo videtur attritus. Ex nostris aeneis primus.

IMP. (Hic deest numi pars a Judaeo quodam, qui eam mihi vendidit defracta, ut videret, utrum argenteus esset an non.) VA. TRIAN. AVG. GERM. Caput laureatum. In aversa conspicitur quidem figura stans flexis brachiis, sed quae reliqua

ibi fuerunt, ea in agris apud Deutsch-Neukirch urbem, ubi hic numus inventus est, detrita sunt omnia. Est ex argenteis nostris quadragesimus sextus.

IMP. CAES. NERVA. TRAIAN. AVG. GERM. Caput laureatum.

P. M. TR. P. COS. III. P. P. Mulier stans sinistra cornu copiae, dextra Victoriolam tenet. Est hic numus anni centesimi p. C. n., ex argenteis nostris quinquagesimus. Inventus esse dicitur in silva, quae est in dextra Viadri ripâ non procul a Ratiboria.

IMP. TRAIANO. AVG. GERM. DAC....... Caput laureatum.

....Q... DAR... Homo sellae insidens dextra nescio quid porrigere vel projicere videtur, sinistra hastam tenet. Etiam hic numus in Silesia superiore apud Sacraviam, vicum sub radicibus montis St. Annae situm, est inventus. Ex argenteis nostris est undevicesimus. Cum Trajanus inde ab anno 103 p. C. n. Dacicus cognominaretur et titulus „Optimo Principi" in numorum antica ab anno 114 p. C. n. inciperet, desineret in aversa, tempore, quod erat inter hos annos, cusi videntur hic et qui proxime sequitur numus.

...TRAIANO. AVG. GERM. DAC..... Caput laureatum.

S. p. q. r. optiMO. PRINCIPI. S. C. Vir paludatus stans alte sublatis manibus, adstat captivus revinctis in tergum brachiis. Est ex numis aeneis undevicesimus.

IMP. TRAIANO. AVG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. V. P. P. Caput laureatum.

ARAB. ADQ. S. P. Q. R. OPTIMO. PRINCIPI. Mulier stans dextra ramum, sinistra calamum tenet, adstat ad ejus pedes struthiocamelus. Testatur hic numus Trajano imperatore Arabiam adquisitam esse, cujus ea pars, quae Petraea dicebatur, ab A. Cornelio Palma, Syriae legato sive praeside a. 105. p. C. n. subjecta est. Est ex argenteis nostris nonus; inventus prope Sacraviam, vicum sub radicibus montis St. Annae situm. Conf. Eckh. VI. p. 420.

Ejusdem consulatus quinti, qui incidit in annos 104 — 111. p. C. n., eodem loco inventus est alius numus argenteus, ex nostris duodevicesimus, in cujus antica legitur TRAIANO, cetera obliterata sunt; in aversa: COS V. P. P. S:............C. i. e. sine dubio S. P. Q. R. OPTIMO PRINC. Praeterea conspicitur figura hominis obscurata.

IMP. CAES. NERV.. ....AVG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. VI. Caput laureatum.

S. P. Q. R. OPTIMO. PRINCIPI. S. C. Mulier stans dextra gubernaculum, sinistra cornu copiae tenet. Est ex aeneis nostris vicesimus tertius.

.... ..AIANO. AVG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. VI. P. P. Caput laureatum.

S. P. Q. R. OPTIMO. PRINCIPI. Homo nudus, cingulo tamen circumdatus, incedens, dextra hastam tenens. Est hic numus ex argenteis nostris undecimus, inventus prope Sacraviam, vicum in radicibus montis St. Annae situm. Cusus videtur inter annum 112 et 114 p. C. n.

IMP. CAES. NER. TRAIANO. OPTIMO. AVG. GER. DAC. Caput laureatum.

P. M. TR. P. COS. VI. P. P. S. P. Q. R. Mulier stans dextra Victoriolam tenet, sinistra cornu copiae. Cusus videtur hic numus a. 114 p. C. n. Cf. Eckh. VI. p. 451. Est ex nostris argenteis tricesimus tertius.

... . AVG. GERM. DAC. Trajani caput laureatum.

PARTHia. capta. vel. PARTHico. p. m. Cos. VI. p. p. s. p. q. r. Imperator stans dextra hastam, sinistra parazonium tenet. Quamquam plurima legi non possunt, id tamen patet celebrari hoc numo Trajani victoriam de Parthis a. 116 p. C. n. reportatam. Est ex argenteis nostris decimus et septimus, inventus ad Sacraviam vicum.

imp. caes. ner. TRAIANO. optimo. aug. germ. dac. Caput laureatum.

PARTHICO. P. m. tr. p. coS. VI. P. P. S. P. Q. R. Mulier stans dextra extensa gladium, sinistra cornu copiae tenet — Cum Trajano inde ab anno demum 116 p. C. n. Parthico nomen additum sit, hoc vel insequenti anno, quo Trajanus obiit, hic numus cusus est. Est ex argenteis nostris quadragesimus tertius, inventus in agris apud vicum Deutsch-Neukirch.

Hadrianus.

IMP. CAESAR. TRAIAN. HADRIANVS. AVG. Caput vel potius protome laureata, sine barba, facie satis pingui et mento paene rotundo.

P. M. tr. p. cos. III. Mulier stans dextra porrecta nescio quid, sinistra hastam tenet. Conf. Eckh. VI. p. 505. — Numus argenteus, ex nostris sextus, inventus non procul a Ratiboria prope Slavicaviam vicum.

Antica est eadem atque superioris.

P. M. TR. P. COS. III. Figura rupi insidens dextra Victoriolam alatam cum corona tenet, sinistra hastam. Est numus argenteus, ex nostris tricesimus quintus.

Antica est eadem atque in superioribus.

SAL. AVG. P. M. TR. P. Figura humana sellae insidens brachio sinistro eidem sellae imposito dextra pateram tenet. Est ex numis argenteis nostris tricesimus sextus.

HADRIANVS. AVG...... Caput nudum, sine barba. — Inscriptio aversae nulla amplius est. Mulier humi sedens dextra Victoriolam, si recte video, sinistra cornu copiae tenet. Est numus argenteus, apud nos tricesimus.

HADRIANVS. AVG..... Caput laureatum.

LIBERTAS. PVBLICA. S. C. Mulier dextra porrecta stans tenet sinistra hastam. Numus ex nostris aeneis decimus.

HADRIANVS. AVGVSTVS. Caput radiatum.

TELLVS. LIBERATA. P. P. COS. III. S. C. Mulier stans dextra pateram, sinistra hastam tenet. Est ex aeneis nostris undecimus. Laudes Hadriani, quod orbem terrarum pacaverit, celebrare videtur ut ii, qui sequuntur.

HADRIANVS. AVG. COS. III. P. P. Caput nudum.

TELlus STABIL. Vir succincta veste stans utraque manu instrumenta rustica tenet, dextra, ut videtur, ligonem, sinistra rastrum. Cur Hadrianus tellurem stabilivisse dicatur, inter viros doctos lis est; equidem assentior Eckhelio, qui l. l. VI. p. 509. id ideo factum esse putat, quod Hadrianus omnibus pacatis pacem, libertatem, securitatem, quibus maxime agricultura nitatur, fundaverit. Est numus argenteus, ex nostris quadragesimus secundus.

IMP. CAESAR. TRA... ..DRIANVS. AVG. Caput laureatum.

P. M. Tr. p. COS. III. Insidet figura sellae dextra spicas, sinistra hastam tenens. Ex literis, quae in infima numi parte scriptae sunt, mediae tantum legi possunt: P. T. Est argenteus, apud nos decimus et tertius, inventus prope Sacraviam, vicum sub radicibus montis St. Annae situm.

HADRIANVS. AVG. COS. III. P. P. Caput laureatum, sine barba.

NILVS. Nilus conspicitur procumbens, sinistra cornu copiae tenens; reliqua nimis obscurata sunt quam ut ab omni parte comparari possint cum numis similibus, quos exponit Eckhel. VI. p. 499. Id vero patet, esse hunc numum ex iis, qui regiones, urbes, fluvios, quos invisit imperator, ante oculos ponunt. Cum autem Hadrianus non ante a. 130 p. C. n. in Aegyptum venisse videatur, post hunc demum annum cusus est putandus. Est argenteus, ex nostris septimus, inventus apud Biescaviam-vicum.

*

Ejusdem generis videtur esse numus argenteus octavus, ad Sacraviam vicum inventus, qui in antica habet caput imberbe laureatum cum inscriptione HADRIANVS ...., in aversa feminam sellae insidentem, dextra ramum sive tale quid, sinistra cornu copiae tenentem; pedes impositi sunt prorae navis. Sed ex literarum quae apparent vestigiis mihi quidem non contigit, ut, quae inscripta fuissent, divinarem.

Antoninus Pius.

IMP. AEL. ANTONINVS. AVG. .... Protome laureata.

PRINC. IVVENTVTIS. S. C. Vir loricatus stat inter tria signa militaria, quorum unum dextra tangit. Est ex aeneis nostris vicesimus octavus.

ANTONINVS. AVG. PIVS. TR. P. Caput laureatum.

Praeter duas literas Q. S. in aversa nihil legi potest. Mulier, nescio an Minerva dea, stans angui erecto cibaria manu porrigere videtur. Est numus argenteus, apud Sacraviam vicum inventus, ex nostris vicesimus.

ANTONINVS. PIVS. P. P. TR. P. COS. III. Caput laureatum.

CONCORDIA. EXERCITVVM. S. C. Mulier succincta veste dextra porrecta aliquid offerre sive ad aram sacrificare, sinistra pateram videtur tenere; post eam signum militare terrae infixum est. Cum Antoninus Pius a. 140. p. C. n. consul tertium fieret, hic numus non potuit ante illum annum signari, sed ille consulatus per totum quinquennium duravit, quare nisi ubi alia accedit temporis nota, hi tertii consulatus numi cui ex quinque illis annis assignandi sint, non constat. Sunt numi aenei primae formae, apud nos quadragesimus nonus et quinquagesimus.

ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. Caput laureatum.

TR. POT. COS. III. LIB. IIII. Mulier stans dextra labarum, sinistra cornu copiae tenet. Conf. Eckhel. l. l. VII, p. 17. Est ex numis argenteis nostris tricesimus secundus, emtus ille ab artifice aerario hujus urbis, qui eum ab agricola aliquo emerat, unde probabile est, eum esse in nostra vicinia inventum.

IMP. ANTONINVS. PIVS. AVG. Caput laureatum.

P. M. TR. P. IIII. COS. III. P. P. Figura nudi hominis. Est ex numis argenteis nostris vicesimus septimus. At adulterinus videtur, primum quod in antica legitur Antoninus. Pius. Aug. pro Antoninus. Aug. Pius.; deinde quod simul cum consulatu III indicatur tribunicia potestas IIII; nam in numis per consulatum An-

tonini tertium signatis numeri tribuniciae potestatis addi non solent; denique totus numi habitus eum genuinum non esse probare videtur.

ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. TR. P. nescio utrum VII. an III. Caput laureatum.

CO.... ..... Mulier stans sinistra serpentem ab ara adsurgentem ex patera pascit, sinistra cornu copiae effundit. Est ex numis argenteis nostris tricesimus nonus, inventus ad Schulenburg, vicum haud procul ab Oppolia situm.

ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. Caput laureatum.

COS. IIII. Sella curulis cum fascibus superimpositis. Est numus argenteus, ex nostris decimus et quartus, inventus prope Sacraviam vicum.

ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. TR. P. XXII. Caput laureatum.

PACI. AVG. COS. IIII. Mulier stans dextra ramum vel coronam, sinistra caduceum tenet. Est hic numus anni 159 p. C. n., argenteus, ex nostris vicesimus octavus.

ANTONINVS. AVG. PIVS. TR. P. XXII. Caput laureatum.

TEMPLVM. divi. Aug. REST. COS. IIII. Templum octo columnarum, in quo duae conspiciuntur figurae, duae item versantur in intercolumnio, et duae sunt in ipsis gradibus. Testatur hic numus a. 159. p. C. n. cusus, quod aliunde non traditum est, Antonini pietate aedem Augusti esse restitutam. Est ex nostris argenteis tricesimus septimus.

DIVVS. ANTONINVS. Caput nudum.

CONSECRATIO. Aquila.

Faustina Senior, Antonini Pii uxor.

FAVSTINA. AVGVSTA. Caput velatum.

In aversa inscriptio plane deleta est, mulieris figura adhuc conspicitur. Est ex numis argenteis nostris quadragesimus quintus, inventus apud vicum Deutsch-Neukirch.

Eadem anticae inscriptio. Caput Faustinae capillis retro in nodum collectis. In aversa nihil cognosci licet praeter mulierem sedentem, quae sinistra hastam tenet. Est numus argenteus, ex nostris vicesimus nonus.

DIVA. FAVSTINA. Caput velatum.

AVGVSTA. S. C. Mulier dextra aliquid projicit, sinistra cornu copiae tenet. Cum Antoninus Pius tertio imperii anno Faustinam uxorem perdidisset, quamquam ejus mores nemo bonus probaverat, tamen non modo summos quosque ei honores senatus decrevit, sed etiam plurimi in ejus memoriam signati sunt numi. Hic est aeneus primae formae, apud nos quinquagesimus secundus.

Antica est eadem. In aversa legitur CERES. Dea stans dextra spicas, sinistra facem tenet. Sunt numi argentei quartus et decimus et sextus, quorum posterior inventus est apud Sacraviam vicum.

DIVA. AVG. FAVSTINA. Caput mulieris cultu solito.

AVGVSTA. Mulier galeata stans dextra sceptrum, sinistra nescio quid tenet. Est numus argenteus quadragesimus septimus, inventus prope vicum Deutsch-Neukirch.

Marcus Aurelius.

AVRELIVS. CAES. Aug. Pii f. COS. Caput nudum.

PIETAS. Instrumenta pontificalia, lituus et simpuvium. Similem numum describit Eckhel. VII. p, 46, ubi monet jam inde ab Augusto, qui adoptatis Cajo et Lucio novisque Caesaribus varia sacerdotia decreverit, ejus instituti rationem repetendam esse, ut in numis Caesarum nondum Augustorum instrumenta pontificalia ponerentur. Videtur igitur hic numus referendus ad annos 139—143; est argenteus, ex nostris quintus.

M. AVR. ANTON. CAES. PONTIF. Caput vel potius protome nudis capillis.

PRINCIPI. IVVENTVTIS. Caesar paludatus stans prope tropaeum dextra bacillum vel ramum, sinistra hastam tenet. Est ex numis nostris argenteis decimus, inventus prope Sacraviam vicum.

M. ANTONINVS. AVG. TR. P. XXIX. Caput laureatum.

IMP. VI. COS. III. S. C. Imperator paludatus dextra Victoriolam, sinistra hastam tenet; adest etiam alia figura in curru sedens, quae tamen qualis sit, cognosci non licet. Est ex numis aeneis nostris quinquagesimus primus.

Faustina Junior, M. Aurelii uxor

FAVSTINAE. AVG. PII. AVG. FIL. Caput mulieris capillis retro in nodum coactis.

PVDICITIA. Mulier stans utroque brachio extenso obvolvitur magno amictu. Faustinam vero omnium mulierum fuisse impudicissimam constat; usa promiscue gladiatoribus et nautis et si qui sunt his viliores, atque ipsum Commodum ex gladiatore aliquo concepisse dicitur.

FAVSTINA. AVGVSTA. Caput mulieris cultu solito.

VENERI. VICTRICI. S. C. Dea seminuda sedens dextra Victoriolam tenet, sinistra cornu copiae. Typus igitur alius est atque quem Eckhel. VII. p. 80 in numo, qui eandem habet inscriptionem, describit. Est ex numis aeneis nostris tertius, inventus in agris Biescaviensibus.

Antica est eadem. FE cund. augustae. S. C. Mulier stans singulos utraque manu infantes gestat, alio hinc, alio illinc adstante. Haec imago aeque atque inscriptio admodum obscurata est, tantum tamen videre mihi videor, ut existimem esse hunc numum eundem, quem Eckhel. VII. p. 78 describit. Est aeneus, ex nostris septimus.

DIVA. AVG. FAVSTINA. Caput cultu solito.

AETERNITAS. Mulier velata stans. Est numus argenteus, apud nos tricesimus primus, emtus ab artifice aerario hujus urbis, quare veri est simillimum eum in nostra regione esse inventum.

AETERNITAS. AVG. FAVSTINAE. Caput cultu solito, facie pulcherrima.

In aversa quamquam supersunt vestigia inscriptionis, ego praeter S. C. nihil, quod sententiam praebeat, extrico. Mulier solio insidens dextra sceptrum, sinistra cornu copiae tenet. Est numus aeneus, apud nos secundus, inventus in agris Biescaviensibus.

DIVA. FAVSTINA. Caput velatum.

CONSECRATIO. Pavo. Ex numis argenteis nostris vicesimus sextus.

DIVA. FAVSTINA. AVG. PII. AVG. FIL. Caput cultu solito.

CONCORDIA. Mulier sedens, quae quid manibus teneat, cognosci jam non potest. Est ex numis argenteis nostris quadragesimus, inventus in agris Niedaniensibus haud procul a Ratiboria urbe.

Lucius Verus.

L. VERVS. AVG. ARM. PARTH. ...... Caput radiatum.

TR. P. VI. IMP. IIII. COS. II. Mulier stans dextra nescio quid offert, sini-

stra cornu copiae tenet. Est numus argenteus, ex nostris vicesimus secundus, inventus prope Sacraviam vicum.

Commodus.

I..AEL. AVREL. COMM. AVG. TR. P. Caput laureatum.

In aversa ex vestigiis inscriptionis praeter S. C. et extremas literas P. P. nihil sani perspicio. Integerrimus contra est vir loricatus dextra hastam, sinistra parazonium tenens. Est ex numis aeneis nostris decimus et quintus.

Crispina, Commodi uxor.

CRISPINA. AVGVSTA. Caput pulcherrimum cultu solito.

IVNO. LVCINA. S. C. Dea velata stans dextra pateram, sinistra hastam tenet. — Videntur Dii genitales, quibus in aliis numis aram dedicavisse dicitur Crispina, supplicem exaudivisse, cum hic ejus nomen cum Junone Lucina conjunctum sit. Est numus aeneus, integerrimus, ex nostris quintus.

CRISPINA. AVG. Caput cultu solito.

Aversae adhuc neque inscriptionem neque typum explicare potui. Est ex numis argenteis nostris secundus.

M. Didius Julianus.

IMP. CAESAR. M. DID. SEVERVS. IVLIAN. AVG. P. P. Caput laureatum.

COS. II. S C. Imperator curru quadrigarum celeriter vectus coronatur a Victoria.

Eckhel. VII. p. 148 duas tantum anticae inscriptiones affert, aut: Imp. Caes. M. Did. Julian. Aug., aut: Imp. Caes. M. Did. Sever. Julian. Aug., a qua utraque haec nostra cum aliis literis tum maxime eo differt, quod adjectum habet nomen Patris Patriae, quod in numis hujus imperatoris constanter negligi Eckhel. dicit, quanquam Spartianus Julianum ita dictum esse scripserit. In aversa parte item COS. II. suspicionem movet; nam auctore eodem Eckhelio Julianus in numis omnibus probae fidei COS. simpliciter inscribitur. Testatur tamen Spartianus Julianum ter aut saltem bis fuisse consulem. Denique totus hujus numi habitus ejusmodi est, ut eum ego quidem genuinum esse defendere non ausim. Est aeneus primae formae, apud nos quinquagesimus tertius.

Septimius Severus.

L. SEPT. SEV. PERT. AVG. IMP. X. Caput laureatum.

SALVTI AVGG. (i. e. Severi et Caracallae.) Figura seminuda solio insidens dextra in ara sacrificare videtur sinistro brachio solio imposito. Est ex numis argenteis nostris quadragesimus quartus; cusus videtur a. 197 vel 198 p. C. n.; inventus est prope Deutsch-Neukirch vicum et ita quidem attritus, ut inscriptio summa tantum difficultate legi possit.

Ejusdem imperatoris videtur esse numus argenteus quadragesimus nonus, in cujus antica etiamnum apparent ....V.PE... et caput laureatum. In aversa postremae literae TI supersunt; conspicitur figura solio insidens dextra, ut videtur, in ara sacrificans, sinistra cornu copiae tenens.

Philippus.

IMP. M. IVL. PHILIPPVS. AVG. Caput radiatum.

FIDES. MILIT. Mulier stans dextra hastam, sinistra cornu copiae tenet. Est numus argenteus, ex nostris tertius.

IMP. CAESAR. C. M. IVN. PHILIPPVS. AVG. Caput laureatum.

...... LVDI .... Vir stans aliam sinistra, aliam dextra manu bestiam tenere vel trahere videtur. Dubitari vix potest, quin hic numus in memoriam ludorum saecularium, quos Philippus a. 147 vel 148 p. C. n. ingenti apparatu celebravit, cusus sit. Est aeneus, apud nos vicesimus sextus.

Ejusdem generis esse suspicor numum aeneum vicesimum septimum, in cujus ego antica obscura tantum literarum vestigia video, in aversa vir cum duabus bestiis conspicitur et etiamnum legitur .... SC... LVDI.

imp. c. m. IVL. PHILIPPVS. AVG. Caput laureatum.

P. M. SC. LVD. .... Vir succincta veste stans dextra scipionem vel lituum tenere, sinistra aram tangere videtur, ab dextra adstat taurus. Est ex numis aeneis nostris octavus.

Vaballathus, Odenathi et Zenobiae filius, Aureliano imperante princeps Palmyrenus.

A. CΡΩΙΑC. ΟΥΑΒΑΛΛΑΘΟC. ΑΘΗΝΟΥ. Caput pueri, laureatum et diadematum juxta L. Є.

ΑΥΤ. Κ. Λ. Δ. ΑΥΡΗΛΙΑΝΟϹ ϹΕΡ. Caput laureatum; juxta L. B. Hic et qui sequuntur tres numi aenei eodem omnes numero XXIX apud nos insigniti sunt.

ΕΡΩΙΑϹ. ΟΥΑΒΑΛΛΑΘΟϹ. ΑΘΗΝΟΥ. ΑΥΤ. Caput cum tiara; juxta L. Є.

ΑΥΤ. Κ. Λ. Δ. ΑΥΡΗΛΙΑΝΟϹ. ϹЄΒ. Caput laureatum, juxta B.

...ΙΑϹ. ΟΥΑΒΑΛΛΑΘΟϹ. ΑΘΗΝΥ. Caput juvenile cum tiara, juxta L. Є.

Α. Κ. Λ. ΔΟΜ. ΑΥΡΗΛΙΑΝΟϹ. ϹЄΒ. Caput laureatum, juxta B.

..ΙΑϹ. ΟΥΑΒΑΛΛΑΘΟϹ.... ... ... Caput juvenile laureatum.

Α. Κ. Λ. ΔΟΜ. ΑΥΡΗΛΙΑΝΟϹ. ϹЄ.. Caput laureatum. De his Vaballathi numis, qui mihi admodum videntur suspecti, conf. Eckh. VII, pag. 492.

Diocletianus.

IMP. DIOCLETIANVS. AVG. Caput radiatum.

IOVI. AVGG. Vir loricatus dextra fulmen, sinistra hastam tenens. Est ex aeneis nostris tricesimus sextus; inventus esse dicitur apud Lignitium urbem.

IMP. C. DIOCLETIANVS. P. F. AVG. Caput laureatum. Non invenitur haec epigraphe apud Eckhel.

genio POPVLI. ROmani. R. S. Genius virilis stans dextra pateram, sinistra cornu copiae tenet. Est ex numis aeneis nostris duodecimus.

Maximianus.

MAXIMIANVS. NOB. CAES. Caput laureatum.

SACRA. MONET. AVGG. ET. CAESS. NOSTR. Mulier stans dextra bilancem, sinistra cornu copiae tenet. Inde a Diocletiano moneta sacra dici coepta est. Conf. Eckhel. VIII. p. 10. Est numus aeneus, ex nostris nonus.

IMP. MAXIMIANVS. P. F. AVG. Caput laureatum.

SACRA. MONETA. AVGG. ET. CAESS. NOSTR. Typus est idem atque in superiore. Est etiam numus aeneus, apud nos vicesimus quintus.

IMP. C. M. A. MAXIMIANVS. P. F. AVG. Caput laureatum.

GENIO. POPVLI. ROMANI. Genius virilis stans dextra pateram, sinistra cornu copiae tenet. Est numus aeneus, vicesimus quartus.

Constantius Chlorus.

FL. VAL. CONSTANTIVS. NOB. C. Caput diadematum.

GENIO. POPVLI. ROMANI. Genius virilis stans dextra pateram, sinistra cornu copiae tenet. Est numus aeneus, vicesimus quartus.

Severus.

FL. VAL. SEVERVS. NOB. CAESAR. Caput laureatum.

GENIO. POPVLI. ROMANI. Infra S. M. S. D. Genius virilis ut in superioribus. Numus aeneus decimus et septimus.

Constantinus.

CONSTANTINVS. MAGNVS. Caput margaritis ornatum.

GLORIA. EXERCITVS. Duo viri loricati stantes alter dextra, alter sinistra hastam, altera manu uterque gladium vel parazonium tenent; inter eos est signum militare. Est numus aeneus, ex nostris tricesimus.

CONTANSTINVS. AVG. Caput diadematum.

VIRTVS. EXERCIT. Inter duos captivos humi sedentes palus est vel arboris truncus, ad quem adfixa est tabula, in qua legitur VOT. XX. Est ex numis aeneis nostris tertius decimus.

CONSTANTINVS. AVG. Caput margaritis ornatum.

D. N. CONSTANTINI. MAX. AVG. Corona, in qua scriptum est VOT. XX. Est ex numis nostris aeneis tricesimus primus.

CONSTANTINVS. AVG. Protome cum galea et lorica.

BEATA. TRANQVILLITAS. Globus coelestis impositus cippo, cui inscriptum est VOTIS. XX. Numus aeneus, ex nostris tricesimus quintus, Augustae Treviorum in sepulcris antiquis usque ad nostrum tempus servatus.

CONSTANTINVS. P. F. AVG. Caput diadematum.

IOVI. INVICTO. COMITI. Vir loricatus capite radiato dextra Victoriolam, sinistra galeam tenere videtur. Hic numus aeneus, ex nostris tricesimus septimus, apud Lignitium inventus esse dicitur.

Crispus.

CRISPVS. NOB. CAES. Caput margaritis ornatum.

ROMA. AETERNA. Mulier sedens manibus pateram tenere videtur. Est numus aeneus, apud nos tertius et tricesimus.

Constantinus Junior.

CONSTANTINVS. IVN. NOB. C. Caput vel potius protome laureata.

PROVIDENTIAE. CAESS. Turris cum porta. Infra sunt literae S... T.. Numus aeneus, quartus decimus.

Constantius Junior.

D. N. CONSTANTIVS. IVN. NOB. C. Protome cum diademate.

FALTENPARPAR... ...BSIS. Vir hasta ingruens perfodit monstrum quoddam. Est ex numis aeneis nostris decimus sextus.

FL. IVL. CONSTANTIVS. NOB. C. Caput cum diademate margaritis ornato.

GLORIA EXERCITVS. Duo viri loricati cum hastis et gladiis, inter eos duo signa militaria. Ex numis aeneis secundus et tricesimus.

Schulnachrichten.

I. Lehrplan.

1. Prima. (Ordinarius Prorector Dr. Müller, dann Prof. Dr. Mehlhorn.) Lateinisch. 8 St. Horatii Carm. III. u. IV. und ausgewählte Satiren. Einige Oden wurden auswendig gelernt. Dr. Schmidt, seit Johanni Conr. Keller. Livii lib. IX. u. Cicer. de nat. deor. I.; freie Arbeiten, Scripta, Extemporalia, Disputirübungen, Auswendiglernen mancher gelesenen Abschnitte und des vierten Bogens der loci memoriales. 6 St. Hänisch. — Griechisch. 6 St. Plutarchi Cleomenes u. Exercitien nach Blume. Müller. Sophocl. Antigone, Homeri Iliad. XXII, XXIII. u. Demosthen. erste Olynth. Rede; Scripta nach Blume. Mehlhorn. — Hebräisch. 2 St. Außer mehreren Abschnitten in Gesenius Lesebuche ausgewählte Psalmen gelesen und Uebungen im Uebersetzen ins Hebräische nach Schröder angestellt. Strauß. — Französisch. 2 St. Menzels Handbuch (Jomini, Labeaume, Ancillon, Staël); Grammatik und Styl nach Hirzel. Hänisch. — Deutsch. 2 St. Schriftliche Ausarbeitungen u. mündliche Vorträge. Müller, dann Mehlhorn. — Philosophische Propädeutik. 2 St. Müller, dann Mehlhorn. — Geschichte u. Geographie. 3 St. Von Alexander bis zum Untergange des Weströmischen Reichs, nach Pütz; Geographie von Asien u. Europa, nach Selten. Hänisch. — Mathematik. 4 St. Die Stereometrie u. sphärische Trigonometrie; die höheren Gleichungen, Combinationen, Permutationen, binomische Lehrsatz, nach Kries; Uebungen im Auflösen mathematischer Aufgaben mannigfaltiger Art. Peschke, seit Neujahr Fülle. — Physik. 2 St. Die ersten sechs Abschnitte aus Brettner's Leitfaden. Peschke, seit Neujahr Fülle.

2. Secunda. (Ordin. Dr. Jul. Schmidt, seit Johanni Conrect. Keller.) Lateinisch. 9 St. Virgil. Aen. I. u. ausgewählte Abschnitte aus Lindemann's selecta e poetis latinis carmina. 2 St. Schmidt, dann Dr. Mehlhorn. Cicer. oratt. Catil. I—IV, dann Sallust. B. Catilin.; mündliche u. schriftliche Uebungen im Uebersetzen nach dem zweiten Cursus von Grotefend's Materialien; Syntax nach Billroth; außer 5 Capiteln aus Cicero's erster Catilin. Rede wurde §. 36 — 42 der loci memoriales auswendig gelernt. Schmidt, dann Keller. — Griechisch. 6 St. Hom. Iliad. VII. VIII. In Passow's Eklogen die Abschnitte von Xenophon; Syntax nach Buttmann's Schulgrammatik, mündliche und schriftliche Uebersetzungsübungen nach Mehlhorn. Früher Schmidt und Müller; seit Johanni Mehlhorn. — Hebräisch. 2 St. Die Anfangsgründe nach Gesenius; übersetzt u. erklärt